

alicui, & emptor mittat & apponat custodem pro herba vel fructu conservando, statim censetur quæsitæ possessio & effectus ejus. Tertio infero, quod si quis emat, vel alio titulo acquirit castrum vel fortalium, & mittat & apponat custodem, statim ac ingreditur custos & incipit custodire, erit quæsitæ possessio: & in specie ita determinat Bald. in l. Traditionibus. Cod. de Pactis. 2. column. in princip.

76. Octavus actus fictus per quem transit & acquiritur possessio, est per signationem rei: nam si ex grege vendantur tot capita, vel animalia in genere, & sic nec certa nec determinata; vel ex nemore, vel sylva, tot trabes vel ligna; & postea de voluntate venditoris in præsentia, vel absentia signantur; statim censetur facta traditio, & quæritur dominium & possessio emptori, & transit ad eum periculum rei: iste est textus singularis in leg. Quod si nequam, in fin. ff. de Peric. & commod. rei vend. cujus verba sunt: *Videri autem trabes traditas quas emptor signasset, & ad hoc notat & commendat ibi Glossa ordinaria, Bald. & communiter DD. & commendat Saly. in leg. Lictos, eodem titul. & ad hoc notat etiam & commendat Bald. in rubric. Cod. de Peric. & commod. rei vend. 1. column. post princip. Saly. qui notabiliter loquitur, in leg. fin. eod. titul. fin. quest. num. 6. Jas. in leg. Traditionibus. Cod. de Pactis. 2. column. in fin. idem Jas. in l. Quoties. Cod. de Rei vindic. 4. column. in 6. limit. princip.*

77. Attende tamen circa hoc, quia esset notabile dubium, an eo ipso quod aliquod animal, puta equus, bos, vel ovis, vel alia res reperitur habere signum meum quo utor signare, probetur esse mea? Et videtur quod sic, argumento textus singularis in leg. Stigmata, in princip. Cod. de Fabricensibus lib. 11. ubi dicitur, quod fabricensibus imponebatur signum in brachiis, ut ex eo possint, si latitaverint, agnosci: idem probat textus in leg. penultim. versic. Sic universos. Cod. de Aqueduct. eo lib. 11. bonus textus in cap. Si iudex, versic. Justum est enim de sentent. excomm. lib. 6. facit etiam illud Lucæ 20. cap. Ostendite mihi denarium, cujus habet imaginem & inscriptionem? & respondentes dixerunt Cæsaris: & ait illis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, & in expresso ita tenet & determinat Bartol. in dict. leg. Stigmata, & ibi Lucas de Penna. 1. column. post medium. Contrarium tamen tenet ibi Plat. 1. column. num. 1. quia de facili posset fraus committi, & probatio non videtur concludere necessariò: Item ex eo, quia potest quis alieno signo signare, ut in leg. Ad testamentum. §. Si ab ipso. ff. de Testament. Unde dicit ipse, quod licet non sit plena probatio, erit tamen optima

præsumptio, argumento dictorum jurium: Et ista opinio mihi placeat; & sic juncta cum aliis probaret, argumento leg. Quæro. §. final. de Edil. edict. & textus eorum, quæ ibi notantur, in cap. fin. de Success. ab intest. & doctrinæ Bartol. in leg. Admonendi, de jurejur. 8. column. num. 48. & ibi DD. Nec obstant jura superius adducta: Quia procedunt in signo publico & determinato, ex quo per legem est inducta probatio; secus in signo privato, per superiorem rationem. Nec obstat quod habetur Luc. 20. cap. Quia ibi Domino Deo nostro notissimum erat, quod illud denarium & ejus imago esset Cæsaris, & ideo ei applicabat: Præterea, ibi loquitur in signo & imagine Imperatoris vel alicujus Principis, & illud non potest poni ab alio privato in sua re, & sic videtur signum unicum & indubitabile, quod uni personæ applicari potest, idem probat, argumento textus in l. 1. & 2. Cod. Ut nemo privatus titulos suos prædiis suis vel alienis imponat, vel Vela regia suspendat, & ibi DD. Dicit etiam Plat. unum notabile in dict. leg. Stigmata. Quod optimus officialis & peritus in arte poterit prohibere alium uti suo signo, quia interest ejus propter sui operis bonitatem, ne alius imperitus in arte utatur tali signo, ne inducatur operis confusio, argumento textus in cap. Nonnullis de Judæis, & tenet expressè Bartol. in tract. de Insignibus & armis. 2. column. num. 9.

78. Nonus actus fictus per quem acquiritur possessio, est, per clausulam constituti: nam si quis, præcedente titulo habili ad translationem domini, puta si vendat, donet, vel alio simili titulo alienet suam rem, & constituat se eam possidere nomine ejus cui fit alienatio, statim transit & quæritur ei possessio, & per consequens dominium, vel usucapiendi conditio, nullo actu traditionis interveniente: textus est subtilis & notabilis in leg. Quod meo. ff. de Acquirend. posses. cujus verba sunt: *Quod meo nomine possideo, possum & alieno nomine possidere, &c. facit textus in leg. Qui bona fide, eodem titul. textus in leg. Si quis ante, eodem titul. textus in leg. Quædam mulier. ff. de Rei vindication. textus in cap. Cum venisset, de restitut. spoliat. ibi: Cum sicut cautum est, is possideat cujus nomine possidetur, textus in cap. Si diligenti, de præscript. ibi: Et is etiam possidere dicatur cujus nomine possidetur, & idem disponit lex 9. in fin. titul. 30. 3. part. & ratio vera & mentalis est: quia ille qui se constituit nomine alterius possidere, in continenti, id est, in ipso actu constitutionis videtur insistere rei & eam habere & tenere nomine ejus, & tamquam ejus procurator: unde, statim sibi quæritur possessio, & constituens remanet in simplici*

&

& nuda detentatione: sicut ergo procurator de novo apprehendens possessionem, illam in continenti quærit domino, ut in leg. 1. §. Per procuratorem. ff. de Acquir. posses. in leg. 1. Codic. eodem tit. in leg. Per procuratorem, eodem titul. text. in leg. 1. Cod. Per quas personas, textus in §. Ex illis itaque apparet, Institut. per quas personas nobis acquir. text. in cap. Accedens, de prebend. cum similib. ita eodem modo constituens acquirit ei cujus nomine se constituit possidere: Istam rationem aperte probat text. in dict. leg. Quod meo 1. ibi, dum dicit, sed desino possidere, & alium possessorem ministerio meo facio: nam procurator in quærenda possessione tantum operam, ministerium, seu instrumentum corporis ponit, quo mediante ipsa possessio quæritur domino: Secundò probat ibi, dum dicit: *Procurator alienæ possessionis, præstat ministerium, & sic ille versiculus videtur adductus per Consultum in similitudinem & rationem decisionis textus, denotando quod constituens censetur esse tamquam procurator: & istam rationem voluit Bartol. licet sic non declarat, in dict. leg. Quod meo. 1. column. post princip. versic. Ad hoc respondet quod procurator, &c. Angel. Imol. & Roman. in princip. & magis in expresso Franc. de Aretin. in princip. 1. notabil. Cuman. fin. column. in medio. Paul. de Castr. in leg. Julianus. §. Ex vendito, fin. column. num. 7. ff. de Action. empti.*

Pro cujus perfecta declaratione dico, quod si constituens possidebat civiliter & naturaliter, transfert in eum cujus nomine se constituit possidere, utramque possessionem, tam civilem, quam naturalem, per rationem superiorem: ita Bartol. in dict. leg. Quod meo. 2. column. num. 3. & est communis opinio: Pro qua facit textus ibi sic inductus: Nam possessio simpliciter prolata intelligitur de civili & naturali, nisi secundum subjectam materiam aliud debeat dici: Ita probat textus in leg. 1. eodem titul. & est doctrina Bartol. in leg. 1. in princ. Cod. Commun. de usucapion. tenet notabiliter Ludov. Roman. in leg. 13. §. Ex pluribus. 2. column. in princip. ff. de Acquirend. posses. melius quam alibi Aretin. in Rubric. eod. titul. 2. column. num. 2. Sed textus ille simpliciter & indistinctè dicit, quod transit possessio: ergo intelligatur utraque: est Glossa, juncto text. in leg. 1. Cod. eod. tit. in glossa 3. tenet Cuman. in leg. Naturaliter. 3. §. Nihil annui re. 6. column. in fin. & ante omnes Bartol. 3. column. num. 12. pro qua sententia allegat ibi Bartol. textum in leg. 2. §. Quod vulgò. ff. Pro herede. textus in leg. 1. §. Dejicitur. ff. de vi & armat.

Similiter procedit & habet locum, quando constituens tantum naturaliter possidebat, ut

quia esset ingressus rem, alio civiliter possidente in absentia, vel esset fructuarius, vel haberet rem precario, vel ex alia causa sit penes eum possessio naturalis, ut dixi: nam istis casibus, si constituat se nomine alterius possidere, transfert in eum illam possessionem naturalem solam, quam habebat: ita probat textus notabilis in leg. Interdum. §. final. eodem titul. ubi est casus, quod si quis habebat rem precario, (quo casu regulariter est penes eum possessio naturalis, ut in leg. Et habet. §. final. versic. Placet, infra, de precario cum similib.) & eandem rem ab eodem a quo habuit, vel alio conducit, statim transfert in eum illam possessionem naturalem, quæ penes eum erat, & ad hoc notat illum textum Bartol. Paul. Joan. de Imol. & Alexand. & per illum textum tenet etiam Paul. de Castr. in dict. leg. Quod meo. 2. column. in princip. & est de mente omnium DD. Pro qua sententia facit textus notabilis & subtilis in leg. Pomponius. versic. Quamquam. ff. Quibus modis usufruct. amittatur, ubi est casus, quod si usufructuarius, qui tantum habet possessionem naturalem, conducit usufructum fundi domino, vel alteri, imò etiam si conductor alteri conducit, retinet fructuarius suam possessionem naturalem per conductores: ergo eodem modo, ille qui tantum naturaliter possidet, si constituat se possidere & tenere illam rem nomine alterius, poterit in eum transferre prædictam possessionem.

79. Similiter procedit & habet locum, quando constituens tantum civiliter possidebat, ut quia esset absens in absentia longinqua: nam si, præcedente aliquo titulo habili ad translationem domini, constituat se nomine alterius possidere, statim transfert in eum prædictam possessionem civilem, quam habebat: ita probat textus singularis in leg. Quædam mulier. ff. de Rei vind. ubi dicitur, quod mulier quæ donavit fundum, erat absens ab ipso fundo; & tamen, conducendo à donatario mediante nuntio vel epistola, transfert in eum possessionem; ergo solam civilem transtulit, cum aliam non haberet in absentia: & per illum textum ita tenet & determinat Bartol. in dict. leg. Quod meo. 4. column. numer. 3. Paul. de Castr. 2. column. vers. Item tertio. Cuman. 3. column. Alexand. 2. column. num. 17. & Aretin. in leg. Interdum. §. final. 2. column. eodem titul. Anton. in cap. Cum venisset, de restit. spol. penult. column. prope finem, & est de mente Innoc. & omnium DD. ibi: Anton. in cap. 2. de Consuetud. 3. column. num. 28. Abb. penultim. column. numer. 14. tenet etiam Hostiens. Joann. Andr. Cardinal. Ancarran. Abb. & communiter DD. in cap. final. de Precariis, & ista est communis opi-

opinio Legistarum & Canonist. Pro qua comuni sententia ego considero textum expressum in leg. Quisque. Cod. de Donation. ubi, per retentionem ususfructus transit possessio civilis in emptorem, donatarium, vel in eum cui fit alienatio, & tamen res non erat in presentia, nec praesumitur: quia si esset, frustra alius actus fictus interveniret vel requireretur: & hoc subtiliter deduco ex littera illius textus dum dicit: *ne quid amplius requiratur, quo magis videatur facta traditio*: idem probat textus subtiliter consideratus in leg. Si quis argumentum. §. Sed siquidem, eodem titulo. ubi si quis donat universaliter omnia sua bona, & retinet ususfructum, censetur statim translata possessio civilis in donatarium; & aperte ibi colligitur, quod ille actus intervenit in absentia rerum; nam non est praesumendum quod omnia bona sua quae habebat essent in presentia, ut latius dixi supra in quarto actu ficto: ergo idem dicamus in actu ficto clausulae constituti, ut per eam civiliter possidens in absentia possit transferre possessionem civiliter quam habet. Tertio considero textum notabilem & subtilem, juncta Glossa, & communi opinione, in leg. Qui universas. §. Quod per colonum, eodem titulo. ubi habetur, quod si colonus vel inquilinus post mortem domini conducit ab haerede, vel ei solvit pensionem, recognoscens eum in dominum, eo ipso videtur haeres acquirere possessionem, modo conducatur in presentia rei, modo in absentia; quia colonus vel inquilinus videtur deinceps insistere & habere rem & ejus detentionem in absentia nomine ipsius haereditis, & tamquam ejus procurator, ut latius & notabiliter conclusi supra, in quinto actu ficto, & ibi omnino vide: & sic, eo ipso quod colonus vel inquilinus retinet in absentia illam detentionem nomine haereditis, sibi quaerit possessionem: Ergo eadem fortiori ratione, si possessor retineat civilem possessionem in animo nomine alterius, sibi quaeret possessionem. Quarto facit notabilis textus in proposito in leg. Certi conditio. §. final. ff. Si certum petat, ubi probatur, quod regula & jura, quae habent, quod si ex titulo vel habili causa dimittit quis rem suam apud alium, transfert in eum dominium & possessionem, procedunt etiamsi erat res in absentia contrahentium: quod probat ibi textus dum dicit: *Animo enim cepit possidere*, quod nulla alia ratione provenit, nisi quia detentionem, quam animo retinebat, intendit nunc habere in animo suo pro vera & juridica possessione; & sic ex superveniente causa & titulo illa detentatio transfunditur & mutatur in veram & juridicam possessionem: ergo eodem modo, civiliter possidens posset in animo suo illam ci-

vilem possessionem quam habet retinere nomine alterius, ut mediante animo constituentis illi quaeratur. Confirmatur nova & subtili consideratione: ille qui tantum civiliter possidet animo in absentia potest conveniri rei vindicatione: textus est in leg. Cujuscumque. §. Si fundus. ff. de Usufruct. & ibi notat Alberic. Bald. & Angel. textus in leg. 3. §. final. ff. Ad exhib. textus in leg. Celsus. §. final. eodem titulo. textus juncta Glossa, in leg. Permisceri. §. Species. ff. de Acquirend. possess. textus juncta Glossa, in leg. 2. Cod. Ubi in rem actio. bonus textus in Officium. ff. de Rei vindication. tenet Glossa Bartol. & communis opinio in leg. Pomponius. §. Si is qui precario. ff. de Acquirend. possess. Glossa & communis opinio in dict. l. 2. Cod. Ubi in rem actio. Glossa & communis opinio in Rubr. ff. de Rei vindicat. quo casu; condemnatione facta contra civiliter possidentem, fiet restitutio & executio dupliciter: Primo modo, inducendo actorem realiter in fundum, ut tantum civiliter possideat; ita singulariter Butr. Bald. & communiter DD. in dict. leg. 2. Cod. Ubi in rem actio. Bald. in Authentica, & qui jurat. 7. column. num. 33. Cod. de Bonorum auctoritate jud. possess. Angel. in dict. leg. Cujuscumque. §. Fundus. ff. de Usufruct. Modern. in §. Omnium instit. de action. Secundum modo fiet executio & restitutio, per iudicis praecipuum, ut desinat animo possidere sibi, & constituat se nomine actoris possidere: ita singulariter Angel. Imol. & DD. in leg. Servi nomine. ff. de Usucapion. Alexand. & Moderni in dict. l. Pomponius. §. Si is qui precario. Paul. de Castr. & alii DD. in leg. Permisceri. §. Specie, eodem titulo. Ergo eodem modo, talis civiliter possidens sua voluntate & contractu poterit se constituere nomine alterius possidere, & in eum transferre dictam solam civilem possessionem quam habet. Et si dicas: Nulla possessio quaeritur sine actu corporeo, vel ex parte acquirentis, vel ex parte procuratoris, vel alterius qui intendit quaerere domino, vel sine actu ficto, representativo & subrogato loco naturali, modo tractetur de acquirenda utraque possessione juncta, modo tractetur de acquirenda sola civili, vel sola naturali: text. est in leg. 3. ff. de Acquirend. possess. text. in leg. Quemadmodum, eod. tit. cum similib. Sed hic nullus actus intervenit verus, imò nec fictus ex parte acquirentis, nec ex parte constituentis: ergo non possit in absentia transferri praedicta possessio civilis per clausulam constituti: quia respondeo notabiliter, quod bene intervenit actus; nam à principio, quando constitutus quisivisset possessionem, intervenit actus acquisitivus possessionis, mediante quo fuit qua-

sita possessio, & in esse producta; quam possessionem sic quaesitam constituens intendit habere & tenere nomine alterius: & sicut si à principio constituens actum illum gereret, & possessionem quaereret nomine alterius, sibi quaereret possessionem, & ille actus ibi prodesset; ita tunc postquam possessio est quaesita, si vult eam habere & tenere nomine alterius, sibi quaeritur: & sic talis possessio non dicitur quaeri sine actu, quia sustentatur ex actu primo: & in effectu ista voluit & respondet Bartol. in l. Quod meo, 2. col. num. 3. Alex. 5. column. in princip. & ista est realis & propria intentio Innocent. in cap. Cum venisset, post principium, de restit. spol. & Anton. ibi, penultim. col. in medio, melius & notabiliter idem Anton. in cap. 2. de Consuetudin. 3. column. num. 28.

Et Similiter procedit & habet locum text. in l. Quod meo, & ejus conclusio, quando quis haberet possessionem quaesitam ex quolibet actu ficto, ut per constitutum, vel contractum conductionis, vel receptionem instrumenti, vel quemlibet actum fictum: nam tunc talis possessor poterit etiam in absentia possessionem, quam habet, transferre in alium per clausulam constituti; imò quod magis est, si ex forma legis vel statuti haberet ipso jure quaesitam civilissimam possessionem, posset in absentia, mediante licito & habili contractu, praedictam possessionem transferre per clausulam constituti, quod aperte fundatur ex superioribus: Quod reputo novum & subtile in materia, & ex hoc reprobo sententiam Bald. in Rubr. extra, de caus. posses. & prop. penult. column. post medium. versic. Sed pone, ubi ipse solus, nec alibi aliud reperio, tantum expressè tenet contrarium, imò quod tali casu non possit transferri possessio per constitutum, quia cum ipse possideat fictè, non poterit in alium per actum fictum transferre possessionem, ne detur concursus duarum fictionum: & istud videtur tenere Aretin. in leg. Quamvis. §. Si conductor. ff. de Acquir. posses. fin. col. num. 5. ubi dicit, quod jura quae dicunt, quod per constitutum transfertur possessio, videntur loqui & intelligere quando constituens habeat veram possessionem quaesitam ex actu vero; unde non debent trahi ad acquisitam ex actu ficto; argumento leg. 3. §. Hac verba. ff. de Negot. gest. Quia aperte superioribus probatur contrarium: Nec obstat ratio Bald. quia illa militaret quando in uno & eodem actu concurreret, & respectu ejusdem personae: sed in nostro casu, nec concurrunt in eodem actu, nec in eadem persona, sed in diversis: quia à principio, quando possessio fuit quaesita per actum fictum, vel mediante lege vel statuto, il-

la fictio vel specialitas intervenit respectu primae personae acquirentis, & jam habuit suum effectum & sibi fuit quaesita vera & juridica possessio; postea verò, quando talis possessor iterum se constituit nomine alterius, illa secunda fictio intervenit in secundo actu distincto à primo; & respectu diversae personae, in cujus favorem nunc sit constitutum; unde permittuntur, argumento doctrinae Bartol. & ibi DD. in leg. Si is qui pro emptore de usu cap. penultim. column. fin. quest. & Bartol. & DD. in leg. Singularia. ff. Si cert. per. Pro qua mea subtili consideratione bene facit Glossa singularis in leg. Ab emptione. ff. de Pactis in gloss. fin. & ibi Bartol. Paul. & communiter DD. ubi dicitur, quod si venditor constituit se nomine emptoris possidere, non poterit emptor discedere è contractu solo consensu, nisi interveniat actus traditionis retrò similis, & sic emptor se constituat nomine venditoris possidere: & idem tenet Bald. in leg. 1. Cod. Quando liceat ab empt. disced. 2. column. post princip. & ibi communiter DD. ergo ibi patet, quod possessionem, quam emptor quaesivit ex clausula prima constituti, & sic ex actu ficto, potest transferre potea per aliud ejus constitutum. Pro hac etiam conclusione facit ratio concludens, quia ita vera & realis possessio acquiritur ex actu ficto, sicut ex vero.

Similiter procedit & habet locum conclusio & materia nostra, etiamsi constituens haberet possessionem per alium, ut per colonum, inquilinum, vel similes: quia per clausulam constituti possunt illam possessionem in alium transferre: Glossa est singularis & unica in jure in leg. 1. §. Non alii autem, in verb. Retineo, propè finem. ff. de Vi & vi armat. de qua Glossa & in articulo vide supra.

Similiter procedit & habet locum conclusio & materia nostra, etiamsi constituens non possideat civiliter, nec naturaliter, sed tantum habeat commoditatem possessionis: ut quia debitor obligavit creditori omnia bona sua, vel aliquam rem, & tradidit creditori, vel suo nomine se constituit possidere; quo casu de jure transtulit utramque possessionem in creditorem, ut est text. in leg. 1. §. Per servum corporaliter. ff. de Acquirend. poss. text. in l. Qui pignoris, eod. tit. text. in leg. Pignori. ff. de Usucap. text. in l. Sciendum. §. Creditor, qui satisfacere cogant. text. in l. Servi nomine. ff. de Usucapionib. text. in leg. Per servum pignori. ff. de Acquirendo rer. domin. text. in leg. Si rem alienam, la 1. §. 1. vers. Propriet. ff. de Pignor. actio. text. in leg. Cum & sortis. §. fin. eod. tit. text. in leg. Si pignus mihi traditum, eod. tit. text. in leg. Debitor à credi-

toze, eod. titul. notatur per Glossam & Scribentes in l. Cum notissimi. §. 2. Cod. de Præs. 30. vel 40. annorum, in debitorem verò est commodum possessionis, ut est text. expressus in dict. l. Servi nomine, de Usucap. & probant prædicta jura: nam si talis debitor vendat, vel alio titulo alienet aliquam de prædictis rebus obligatis, & constituat se nomine emptoris eam possidere, transfert in eundem dominium, vel usucapiendi conditionem, & omne jus quod erat penes debitorem, & sic omne commodum possessionis: ita Bart. singulariter in l. Celsus, 3. col. num. 15. ff. de Usucap. post Jac. Butric. quem ipse allegat, & ibi Cuman. penult. col. post princip. idem tenet ibi Franc. Bal. in repetitione illius leg. 28. column. num. 96. idem tenet Cuman. in leg. Qui pignoris. ff. de Acquir. posses. & istud tenet & reputat notabile Paul. de Castr. in leg. Quamvis. §. Si conductor, in fin. eodem tit. & ibi subtiliter Aretin. in fin. col. num. 4. tenet etiam & reputat notabile Bald. in leg. Nullo fin. quest. Cod. de Rei vend. idem tenet & valde commendat Ang. Aretin. in §. Actionum, 5. col. in medio, vers. Quæro, jam est mensis, Inst. de Act. & tenet etiam Anton. de Butric. in cap. Cum venisset, penult. col. in fin. vers. Item si possideat, de restit. spol.

82 Advertendum tamen est, quod conclusio nostra & materia quæ habet, quod per clausulam constituti transfertur & acquiritur possessio, debet necessariò intelligi, quando ille, in cujus favorem fit constitutum, erat præsens & consentiens tempore constituti; secus verò si sit absens; quia tunc nulla sibi quæritur possessio, nisi absens ratum habeat constitutum factum nomine ejus: Cujus ratio est, quia cum constituens non habeat mandatum virtute cujus statim quærat sibi tamquam procurator, sed tamquam negotiorum gestor faciat & constituat se; meritò requiritur quod ille in cujus favorem actus geritur, consentiat, vel ratum habeat, argumento text. in leg. Si ego. ff. de Negot. gest. text. in leg. 1. §. Si ratum. ff. Quod jussu, text. in l. Licet. ff. de Judic. text. in leg. Hoc jure. §. 1. ff. de Regul. jur. text. in l. fin. C. Ad Macedon. text. in regul. ratihibitionem, de regul. jur. in 6. & in expresso pro hac necessaria conclusione & sententia facit textus expressus in leg. Communis servus, §. fin. ff. de Acquirend. posses. ubi dicit text. quod si quis cum mandato, & sic tamquam verus procurator emat rem nomine domini, & apprehendat possessionem, statim quærit dominium & possessionem domino; si verò emat sine mandato, non quæritur sibi dominium nec possessio, nisi ratum habuerit; & isto funda-

mento & consideratione istam conclusionem & declarationem tenet solus Alexand. de Imol. qui sæpè laudatur in practica, in dict. leg. Quod meo, de Acquir. posses. 1. col. in fin. idem tenet Alexand. in consil. suis 6. vol. consil. 153. 1. column. num. 3. idem tenet & summè commendat Philip. Dec. in cap. 226. 2. col. num. 5. 2. vol. consil. idem Philip. Dec. in regul. contractus ff. de Regul. jur. 7. col. vers. Quinto limitatur, sed ante eos idem tenet Raph. Cuman. in dict. l. Quod meo, 2. col. in medio, per textum in dict. leg. Communis servus, §. fin. licet littera sit corrupta: & apertè est de mente Aretin. in princ. 1. col. num. 1. & similiter est de mente Glossæ in dict. leg. Quod meo, in gloss. 1. in vers. Item scientia & voluntas, &c. ubi dicit, quod exigitur scientia & voluntas ejus cui quæritur, ut in casu nostro quærat possessio: & ante eos etiam idem reperio tenere Bald. in l. Cum nemo, 1. lectur. num. 2. Cod. de Acquir. possession. qui tantum allegat regul. text. in dict. leg. Si ego. Istam etiam conclusionem & declarationem tenet Anton. de Butr. in cap. Cum venisset, de restit. fin. col. in fin. Abbas Panorin. ibi, 2. column. num. 6. istam etiam conclusionem & declarationem tenent domini de Rot. in sua decisione 150. incipienti: Licet amicus, & ante omnes istud fuit dictum originale Jacob. Butr. in leg. Quædam mulier. ff. de Rei vend. quem refert Alex. in dict. consil. Pro qua sententia, ultra prædictos DD. facit expressus & notabilis text. in leg. Ea quæ civiliter. ff. de Acquirendo rer. domin. cujus verba sunt: Quod naturaliter acquiritur, sicuti est possessio, per quemlibet, volentibus nobis possidere, acquirimus. Pro qua sententia & declaratione, ultra DD. considero textum expressum in l. Certa. §. Si procurator. ff. de Precario, ubi dicit, quod si quis accipit rem precario nomine alterius, acquirit eam possessionem, si habebat mandatum; si verò non habebat, acquirit ei, si ille alter ratum habeat precarium. Considero etiam textum expressum in leg. Precaria possessio eodem tit. de precario, ubi dicit text. quod ita demum per precarium transit & acquiritur possessio, quando fit inter præsentem, vel inter absentes, si interveniat consensus & voluntas contrahentium, mediante epistola vel nuntio. Pro qua etiam sententia & declaratione facit ratio inconvincibilis: in quærenda possessione etiam per actum verum & naturalem semper requiritur animus & voluntas explicata vel saltem implicita acquirentis: text. est in l. 3. ff. de Acquir. posses. text. in l. Quemadmodum, eod. tit. text. in leg. 1. §. Adipiscimur, & §. Per procuratorem, & in §. Si jusserim, eodem titul. text.

text. in l. Licet in princip. Cod. eodem titul. ergo similiter requiratur in possessione quærenda per actum fictum: argumento text. in leg. Qui ad certum ff. Locati, text. in leg. Qui decem. §. 1. ff. de Solut. text. in leg. Si sponsalibus, §. 1. ff. de Jure dot. text. in l. Adoptio, la 1. ff. de Adoption. text. in l. Lex Cornelia, in fin. ff. de Vulgar. & pupill. bonus & realis text. in proposito in leg. 3. §. Ex contrario. ff. de Acquir. possession. juncta sententia & declaratione Aret. ibi, 1. col. faciunt ea quæ notantur per Glossam & DD. in leg. Gallus. §. Si ejus, de liber. & posthum. per Gloss. Bart. & DD. in leg. Is qui pro emptore, 9. column. 1. quest. princip. ff. de Usucap. per Bartol. Doctor. in leg. Singularia. ff. Si cert. pet. Et in expresso pro hac sententia & declaratione, quod etiam in quærenda possessione per actum fictum requiratur animus & voluntas acquirentis, considero novissimum & expressum text. in l. Si pignus mihi traditum in fin. ff. de Pignor. actio. ubi dicitur, quod creditor conservat vel acquirit possessionem rei pignoratæ per actum fictum conductionis, ita demum si habeat animus & voluntatem possidendi: text. in l. 1. §. Si jusserim. ff. de Acquir. posses. ibi: Sed etiam oculis & affectu, ubi per actum visus, qui est actus fictus, ita demum quæritur possessio, si interveniat animus & voluntas quærentis possessionem: text. in leg. Quærendam, in fin. ibi: Animi quodam genere, &c. eodem tit. ergo in nostro casu, quando quis se constituit nomine alterius possidere, nullo modo quærat ei possessio, nisi sit præsens tempore constituti, vel si sit absens ratum habeat; cum aliàs non dicatur intervenire animus & voluntas acquirentis: & ista est pura veritas in hoc articulo.

83 Ex qua sententia & conclusione infero utiliter in practica, quod si antequam rem habeat ille absens, in cujus favorem ponitur constitutum, venditor, donator, vel alienator, qui se constituit, vendat, donet, vel alienet rem alteri, & tradat verè vel fictè, ille secundus erit præferendus in re, in dominio, vel usuapiendi conditione, vel in omni alio jure concessio in re, argumento leg. Quoties, cum materia, Codic. de Rei vindication. (s) Quod procedit, etiamsi postea ille primus ratum habeat, ut statim dicam: licet secus esset, si ex primo actu constituti vel alio actu ficto esset quæsitæ possessio, quia concurreret animus & voluntas quærentis; quia tunc, licet alteri postea traderet verè vel fictè, primus præferetur, ut ele-

ganter dicit & tenet Joan. And. in Addit. ad Specul. in titul. de empt. & vendit. §. Sciendum 10. column. versic. Quod si res vendit. Bald. in Rubr. Cod. de Contrab. empt. 16. quest. Anton. de Butr. in cap. Cum venisset, penultim. col. in medio, de restit. spol. Abb. Panorm. in cap. 2. de Consuet. fin. col. in princip. originaliter, Gui. de Suza. in leg. Quoties, Cod. de Rei vind. & ibi Jas. 5. col. in 5. limitat.

Infertur & secundò, quod si interim, antequam ille absens, in cujus favorem ponitur constitutum, ratum habeat, expelleretur de possessione ille, qui ejus nomine se constituit, non poterit ille in cujus favorem fuit positum constitutum agere interdicto recuperandæ possessionis, etiamsi post violentiam ratificet: quia ratificatio non fuit adhibita tempore congruo, scilicet, existente possessione penes constituentem, sed tempore inhabili, quo jam non possidebat: ita notabiliter Domini de Rota in allegat. decision. 150. Anton. de Butr. in dict. cap. Cum venisset, de restit. spol. fin. column. in fin. Solus Alex. in dict. leg. meo, 2. col. in princip. Jas. in leg. Generaliter, eodem titul. argumento textus & ejus regulæ in leg. Bonorum. ff. Rem ratam, ubi probatur, quod ratihibitio debet fieri illo tempore, quo actus principalis debuit geri: quem summè commendat ibi Bartol. & DD. text. in leg. fin. ff. Quis ordo in bonor. posses. servet. text. juncta Glossa & communi sententia, in leg. Cum quidam. ff. de Bonor. posses. text. in cap. Non solent, 2. quest. 6. in princip. Gloss. & communis opinio in capit. Ratihibitionem, de reg. jur. in 6. Alexand. & Modern. in l. 1. Cod. Qui admitti. Si verò esset expulsus post ratihibitionem, bene posset agere interdicto unde vi, argumento text. cum materia in leg. fin. Codic. Unde vi, ubi habetur, quod si colonus, vel ille, per quem dominus possidet, expellatur per vim, competit domino illud interdictum Unde vi. Infertur & tertio, quod si ille, qui se constituit nomine alterius possidere, moriatur antequam alter ratum habeat, non quæritur sibi aliqua possessio; cum illo tempore constituens nullam possessionem habeat, quia extincta fuit per mortem, ut in leg. Cum hæredes. ff. de Acquirenda possessione, in leg. 1. §. Scævola. ff. Si quis testament. liber. esse juss. fuer. unde, si fortè per mortem defuncti constituentis, hæres apprehendat possessionem rei venditæ, & illam alteri vendat & tradat, præferentur primo emptori.

Sed attende quod contra superiora facit nova & subtilis difficultas: nam si ille in cujus

(s) Et ita tenet Molin. in lib. 4. cap. 2. num. 58. fol. 131. & num. 64. fol. 132. Anton. Gomez, ad Leg. Taur.